



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De homine qui sacramentum cinerum irridens, puluere suffocatus est,
cap. 53.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

posuit. APOLLONIVS: Si spiritualia animabus impensa sic prosunt corporibus; puto quod illis in pœnis positis multum possint prodesse. CÆSARIVS: De hoc satis audies in sequentibus. Quantum enim prodest humilibus in sacramentis ecclesiæ fides & deuotio, tantum stultis ac superbis eorumdem sacramentorum obest irrisio.

CAPVT LIII.

Retulit mihi Theodericus noster monachus, quodam Comes in Wieda, rem satis mirabilem. Noui, inquit, in Confluentia carnificem quandam, hominem in officio suo probum satis, nomen illius exprimens. Hic cum tempore quodam, tercia feria ante cineres, totam penè noctem in coemulationibus expendisset, manè, quasi ad abluendas carnes, cum quodam suo collega tabernam intrauit, cumque ad officium Missæ pulsaretur, & fideles ad Ecclesiā confluuerent, nec non ex eadem taberna, iamque soli hi duo illi remanētes potarēt, ait alter carnificis: Certè modò diu nimis expectamus, eamus ergo ad ecclesiā propter sacros cineres. Cui ille mysterium cinerum irridendo, respondit: Sede, ego tibi dabo cineres, & tu mihi. Tollenſque cineres de lare, iactauit super caput eius. Et ecce, mox pena irrisioñis subsecuta est: nam statim circa caput & faciem tantum sensit puluerem, ac si follibus ei insufflaretur: cumque territus exclamaret, tamquam ore cineris hausit, ut penè suffocatus fuisset. Accurrerunt multi, plagam tam mirabilem videntes, ductus est in proximam insulam, in qua non puluis, sed gramen erat, sed nihil ei profuit. In Rheno, in pomerio, in solario, neque in aliquo loco à turbine cinerum se defendere potuit; a quibus tamdem suffocatus, pœna irrisioñis soluit. Ecce homo, de quo supradictum est, deuotionis gratia etiam sub terra viuere potuit; hunc in aere iam dicta culpa suffocauit. Duo nunc subjiciam miracula; primū meruit virtus humilitatis, sequens virtus castitatis.